Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31626
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

uentus est. Videns autem celerianus consilio diaboli ar-
matus. iussit eandem nauim in qua martyris corpus erat
sarmentis impleri et in medio mari comburi. Sed gu-
bernante domino martyrem suum ad portum salutis perduxit.
id est iuxta litus istrie ciuitatis parentine ubi corpus martyris
requiescit usque in hodiernum diem. Incipit prologus
in passionem beate Cecilie uirginis.

HUMANAS laudes et mortalium infulas
uidemus. aut ere inciso conscriptas. aut
auro radiantibus litteris adpostitatas
memorie commendatas. Et ista adtende-
ntes. miror cur non erubescimus multum
et uictorias silentio tegere. et non ad lau-
dem in primis eorum qualiter pugnauerunt contra hostes et
uicerunt. schedulis saltim uilibus tradere ad excitandos
animos ~~in~~ bellatorum diligentius explicare. Multa bo-
na talium narrationum scripta conectant. laus dei est cum
ista leguntur. memoria sanctorum excolitur. edificatio menti-
bus traditur. honor martyribus exhibetur. Hinc infidelibus
nascitur meror. incredulis liuor. indisciplinatis
angustia. et sanctis omnibus gaudentibus. solus diabolus
ingemiscit. qui uidet pugnam suam eo usque armis ce-
lestibus debellatam. ut expleta pugna ille melius uictor
extiterit. qui putatus est uictus. Denique putabat se
hostis sanctos dei occidendo uincere. illi autem occisi melius
uincebant. dum accusati non excusabant. interrogati
illico fatebantur. dampnati gratias referebant. Sic denique
legimus et antiquas domini uictorias celebratas. quando dixit
inimicus persequens comprehendam. partibor spolia. reple-
bo animam meam. interficiam gladio meo. dominabitur ma-
nus mea. Et extendit dominus dexteram suam et deuorauit
eos terra. Ipse enim uero suum sanguinis sui precio liberauit. Denique
nunc iacet sanctorum pedibus captiuus inimicus et dans mugi-
tum per lunaticos et energuminos clamat. et penas
incendii quas patitur indicat. atque aternitatem flammarum
durarum commemorans approbat. quod omnis qui se Christi nomine
persecutus est regnant. In tantum denique non sunt mortui ut
mortuis uitam donent. tribulatis gaudium exhibeant. lan-
guentibus prebeant medicinam. atque ipsum humani cor-
poris inimicum proterentes. in ipsum reuocant tormenta
que passi sunt. Et illi quidem momentaneum pertulerunt dolorem.
eternam gloriam tenent. illum uero numquam finiendis arden-
tem in incendiis uident perpetue ignominie man-
cipatum. Clamet se ardere diabolus. ut intelligas
quod bene refrigerantur sancti. Clamet se saluatum infirmus.
ut tu intelligas sanctos saluatori coniunctos. Sic enim ad
patrem legimus dixisse ipsum dominum saluatorem. Pater. uolo
ut ubi ego sum et isti sint mecum. Excitatur ergo animus ad

medelam. quando sue restaurationis acceperit indicia.
Patulum enim sui pectoris prebet auditum. dum sue salutis
probamento reos quos uere se saluasse cognoscit. Hanc fidem
tenuerunt apostoli. quos e uestigio exercitus martyrum prosecutus est.
atque uictorias suas ad regem uictoriosissimum reporta-
runt. Ipse enim triumphalis crucis sue labaro usque hodie
ante cedit. intuentes omnium in se credentium. Hunc secuti
sunt post eos apostoli. post apostolos martyres. confessores. sacerdotes. uirgi-
nes. uidue. post uiduas continentes. Omnibus patent
eius uestigia. ideoque omnibus cotidie clamat. uenite
ad me omnes qui laboratis et onerati estis. et ego uos re-
ficiam et requiescere faciam. Incipit passio. Sancte
Cecilie uirginis.

OMNIBUS uestigia ergo patent
Christi uestigia. ideo
omnibus clamat. Veni-
te ad me omnes qui labo-
ratis et onerati estis. et
ego reficiam uos. Cuius
uocem audiens cecilia
uirgo clarissima abscon-
ditum semper euangelium gerebat in pectore. et non diebus neque
noctibus a colloquiis diuinis et oratione uacabat. Hec ua-
lerianum quendam iuuenem habebat sponsum. Qui iuue-
nis in amore uirginis purgens animum. diem constitu-
it nuptiarum. Cecilia uero subtus ad carnem cilicio induta.
desuper auratis uestibus tegebatur. Parentum uero tanta uis et
sponsi circa illam erat exestuans. ut non posset amorem
sui cordis ostendere. et quod solum Christum diligeret indiciis eui-
dentibus aperire. Quid multa. Venit dies in quo thalamus
collocatus est. et cantantibus organis illa in corde suo
soli domino decantabat dicens. Fiat domine cor meum et corpus
meum inmaculatum. ut non confundar. Et biduanis ac
triduanis ieiuniis orans. commendabat domino quod time-
bat. Inuitabat angelos precibus. lacrimis interpellabat
apostolos et sancta omnia que famulantia exorabat. ut suis
eam deprecationibus adiuuarent. suam domino pudiciciam
commendabat. Sed cum hec agerentur uenit nox in qua suscepit
una cum sponso suo cubiculi secreta silentia. et ita eum
alloquitur. O dulcissime iuuenis atque amatissime.
est mysterium quod tibi confitear. si modo tu iuratus asseras to-
ta te illud obseruantia custodire. Iurat ualerianus
sponsus se illud nulla prodere ratione. nulla neces-
sitate detegere. Tunc illa ait. Angelum dei habeo amato-
rem. qui nimio zelo custodit corpus meum. Hic si uel leuiter
senserit quod tu me polluto amore contingas. statim
circa te suum furorem exagitat. et amittis florem gratis-
sime iuuentutis tue. Si autem cognouerit quod me